

TIT. XVII.

DE LEGITIMA PATRONORUM
tutela.

Quæ dicitur legitima patronorum tutela?

QUÆ patronis defertur in personas libertorum, seu libertatum impuberum, (1) quos manu mittendo sui juris effecerunt.

Cur dicitur legitima?

Quia & ipsa ex Lege XII. Tab. descendit, non quidem directò ex verbis, sed ex sententia, & interpretatione; quod perinde est, ac si ex verbis legis introducta esset. Jam verò cum Lex XII. Tab. ad successionem liberti intestati vocarit patronos, per consequentiam hæreditatum etiam tutelam iisdem delatam voluit. Idque propter juris rationem relatum; quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debeat: (2) nisi à foemina impubes manumittatur, quæ quidem ad successionem vocatur, non verò ad tutelam; (3) quoniam tutela virile est officium, & ultra sexum foemineæ infirmitatis.

TIT.

- (1) *Text. hic l. 3. ff. de Leg. tut.* (2) *Text. hic.*
(3) *L. 21. ff. de Tut.*

TIT. XVIII.

DE LEGITIMA PARENTUM
tutelâ.

Quæ est legitima parentum tutela?

QUÆ ad exemplum, & similitudinem legitimæ patronorum tutelæ est introducta. Nam uti patroni ad tutelam libertorum impuberum ex mente legis vocantur, ita & parentes ad liberorum impuberum à se emancipatorum, (1) ex similitudine rationis, adscisci operæ prætium visum est, propter commodum successionis, quod habent in bonis liberorum suorum; uti & patroni in bonis libertorum.

TIT. XIX.

DE FIDUCIARIA TUTELA.

Cur dicitur Fiduciaria hæc tutela?

QUIA jus fiduciam habet de his personis, quibus eam tutelam defert, quod nimirum pupillorum rebus optimè consulere, & velint: non autem à contracta fiducia in emancipatione, uti superior.

Quibus defertur?

Primò patri: si avus nepotem vel pronepotem impuberem emancipaverit, & mortuus fuerit. Dein-

E

dè

- (1) *Dist. l. 3. §. fin.*

dè fratribus; si pater, filio impubere emancipato, decesserit, fratribus aliis in potestate relictiis. Verùm non aliter his fratris emancipati tutela competit, quàm si sint perfectæ, seu legitimæ ætatis, (1) hoc est, majores 25. annis, qui nimirum in rebus suis administrandis alieno non egeant auxilio. Hodie, & hæc, & parentum tutela, legitima vocatur ex Novellis, (2) successionem patri, & fratri deferentibus, sublata, ut sexus, ita & emancipationis, ac suætatit differentia.

TIT. XX.

DE ATILLIANO TUTORE, ET EO
qui ex *L. Julia*, & *Titia* dabatur.

Succedit tertio loco Tutela Dativa deficientibus nimirum aliis, Testamentaria, & Legitima: quo casu Judex vel Magistratus ex speciali permissione legis dat tutorem.

Quando igitur locus est tutelæ dativæ?

Primò: Si cui nullus omninò tutor fuerit. (3)
2. Si testamento tutor vel sub conditione, vel ex die certo fuerit datus. 3. Quamdiu ex testamento nemo hæres existerit: nam dies tutelæ testamentariæ demum cedit à tempore aditæ hæreditatis. (4)
4. Tu-

(1) *In princ. tit.* (2) *Novel. 118. c. 4.* (3) *Hic in princ.* (4) §. *Sed & si ex testam.*

4. Tutore capto ab hostibus: (1) Nam his tribus casibus dabatur interim tutor, pendente scilicet conditione; die; aut jure postliminii; at si conditio existisset, dies venisset, tutor reversus fuisset in civitatem, desinebat tunc esse tutor.

Cur testamento tutor sub conditione, vel ex certo die datur à Magistratu non nisi purè?

Quia (ut dictum est suprâ) præsumit lex testatorem optimè prospexisse liberis in suo testamento; ne tamen pendente conditione, indefensus inveniat pupillus, petendus tutor est, qui esse desinit, si conditio existerit, aut dies venerit. (2) Cæterum à Magistratu non nisi purè tutor dari potest, (3) quoniam licet ipse factum, aut defectum legis supplere possit, qui verò ipsius Magistratus incertum, atque imperfectum factum suppleat, nemo est. Accedit quod actus legitimus, qualis est datio tutoris facta à Magistratu, non recipiat diem vel conditionem. (4)

Quis Magistratus sive Judex dat tutorem?

Olim in urbe Romana à Prætorè Urbano, quòd is proprius civium Romanorum Judex esset; & à majore parte Tribunorum plebis, ex *L. Attilia* dabatur tutor, dictus inde *Attilianus*. Ideo major pars Tribunorum requirebatur, quod scilicet illud referatur ad universos, quod publicè per majorem fieri partem. (5) In provinciis verò Romano Imperio

E 2 sub-

(1) §. *Ab hostibus.* (2) §. *dict.* §. *Sed & si.* (3) *L. 6. §. 1. ff. de Tut.* (4) *L. 77. ff. de Reg. jur.* (5) *L. 160. §. 1. ff. de Reg. jur.*

subjectis ex L. Julia, & Titia Præses provincie tutorem constituerebat. (1)

Cur ex illis Legibus dare tutores desierunt?

Quia per eas non satis prospectum erat pupillis, cum tutores absque inquisitione darentur, neque dati compellerentur suscipere tutelam. Tutoris enim datio, cum non jurisdictionis, aut imperii, sed legis sit, quasi jurisdictione voluntaria exercebatur. (2) Postea Consules tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex Consuetudinibus: quibus introducta fuit cautio, rem pupilli salvam fore, exigenda à tutoribus, & de iis compellendis ad tutelam administrationem. (3)

Mansitne deinceps id jus penes Consules & Prætores?

Non: sed tempore Justiniani Romæ quidem Præfællus Urbis, vel Prætor, (4) secundum suam jurisdictionem, hoc est, intra suæ jurisdictionis limites, in provinciis autem Præsides ex inquisitione tutores creabant: vel Magistratus jussu Præsidi, si non essent magne pupilli facultates. (5)

Quid verò hæc Justinianus innovavit?

Ut Defensor civitatis, vel aliæ publicæ personæ, id est, Magistratus, una cum civitatis Anthistite, seu Episcopo possint tutores vel curatores creare (ut tanto majore fide, ac religione negotium hoc tam pium conficiatur) etiam non expectatâ jussione Præsidi, ad evitandos sumptus, si facultates pupillæ

(1) Text. hic in princ. (2) L. 6. §. 2. ff. de Tutel. (3) §. Sed ex his. (4) L. 45. §. 3. ff. de Excus. tut. (5) §. Sed hoc jur.

pilli non excedant quingentos solidos: (1) quod si ampliores sint facultates, ut tunc tutor à Præside designetur, cum cautione, de qua supra.

Cur inventa tutela?

Quia naturali juri, ac rationi conveniens est, ut impuberes in tutela sint, & qui perfectæ ætatis non sunt, alterius tutela regantur. (2) Inde tamen ne inferas tutelam esse juris naturalis: quandoquidem à civili sumpserit incrementum, & formam: & Jus civile dicatur, quod nec in totum à naturali, seu gentium jure recedit, nec per omnia ei servit. (3)

Ad quid tenetur tutor finitâ tutelâ?

Tenetur tutelæ judicio rationem reddere. Cum enim vim ac potestatem in personam pupilli habeat, e jusque res administret, æquissimum est, ut post pubertatem directâ actione teneatur, & administrationis suæ rationem reddat, (4) deque omnibus iis quæ fecit, cum facere non deberet: item de iis, quæ non fecit, idque præstando dolum, & culpam, (5) & quantum in suis rebus adhiberet diligentiam. Dico post pubertatem, quia hæc actio exerceri nequit, nisi finitâ tutelâ: absurdum enim esset à tutore rationem administrationis exposci, in qua adhuc ille perseverat. (6) Contrariâ verò actione tutor repetit, (7) quod de suo impedit in rem pupillarem, ne officium suum sit illi damnosum.

E 3. in omni tit. in sup. TIT. II.

(1) §. Nos autem per l. 30. C. de Episc. aud. (2) §. Impuberes. (3) L. 6. ff. de Just. & jur. (4) §. fin. l. 1. §. 3. l. 4. ff. de Tut. & rat. dist. (5) L. 3. C. de Divid. tut. (6) L. 9. ff. d. iis. (7) L. 3. C. de Contr. jur. tut.

DE AUCTORITATE TUTORUM.

Post traditas tutelæ species, & qualiter constituantur tutores, recto ordine sequitur de auctoritate, sive potestate tutorum in pupillos.

Quid igitur est auctoritas tutorum?

EST vis illa, ac potestas, quam tutores vel ex testamento, vel ex lege, vel per Judicem accipiunt, in persona pupillorum defendenda, rebusque eorum administrandis, quia pupillus, nec vellet, nec nolle in eâ etate, nisi apposita auctoritate, creditur. (1) Vel, est approbatio ejus, quod cum pupillo geritur. Hoc est enim auctorem fieri inquit J. C. cum tutor se probare dicit id, quod agitur. (2) Quæ quidem, ut in tuto sit auctoritas, oportet per Judicem decernatur.

Priusquam se administrationi immisceat, quid facere tutor debet?

In primis tenetur coram Judice præstare jurjurandum, quod quidquid utile pupillo erit, curabit cavere, quidquid damnosum. Tenetur insuper conficere inventarium, seu descriptionem rerum omnium, quæ in patrimonio pupilli inveniuntur. (3)

IN

(1) L. 89. ff. de Reg. jur. (2) L. 3. ff. h. t. (3) Auth. Quod nunc, C. de Cur. fur. l. 7. ff. de Admin. tut. l. 24. C. cod.

In quibus causis auctoritas tutoris necessaria est, vel non est?

Necessaria non est in iis causis, in quibus pupillus conditionem suam meliorem facit, (1) nec periculum est, ne lædatur: veluti in iis contractibus, qui non possunt non utiles esse pupillo: cum pupillus liber sit, & capax civilium, habeatque intellectum aliquem (ut si dari sibi stipuletur, aut per traditionem accipiat) qui in ejus commodum, atque utilitatem pro pleno representatur, ne scilicet quod in favorem cujusquam est introductum, redundet in odium ejusdem.

Necessaria verò eadem est auctoritas in his causis ex quibus obligationes nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus; conductionibus; mandatis, depositis: (2) quia periculum est læsionis, cum obligari sit periculosum, & æquè damno obnoxium, ut lucro. Similiter si aliis quid promittat pupillus, necessaria tutoris est auctoritas: neque enim aliter deteriore conditionem suam facit: & si quid damni pupillus ex inconsulto tutoris consilio acceperit, hoc sarcire cogitur idem tutor. (3)

Quid, si pupillus sine tutoris auctoritate contraxerit?

Tunc quidem is, qui cum pupillo contraxerit, obligabitur, at invicem pupillus non obligatur. (4) Idque benignâ ratione, & favore pupillorum receptum est.

E 4

(1) Hic in princ. (2) Versio. Undè in iis princip. cit. l. 189. ff. de Reg. jur. (3) L. 1. ff. de Tut. & rat. dist. (4) Versio. Si tutoris, dist. princ. l. 13. §. 29. ff. de Alf. empl. §. Pupill. de inutil. stip.

est. Claudicabit proinde eo casu talis contractus: quod sibi imputare debet, qui cum pupillo contraxit: quippe qui scivit, aut scire debuit, pupillum non obligari cum non habeat plenum intellectum. Obligari verò pupillum, proximum pubertati, capacem jam & furandi, & iniuria ex delicto, (1) non interposita tutoris auctoritate, placuit, idque favore Reipub. qui hac in parte favori pupillorum praevaleret.

Potesne hereditatem adire pupillus absque tutoris auctoritate?

Non potest: ut neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso suscipere, aliter pupilli possunt, quam si tutoris interveniat auctoritas: licet videri possit lucrosa hereditas. (2) Idque ob latens saepe res alienum, & ne pupillus specie apparentis lucri facile in damnum incidat. Nam haeres ad eundo hereditatem statim sit obnoxius legatariis, creditoribusque defuncti ex quodam quasi contractu. (3) Quia ratione, & pupillus suus, licet ipso jure haeres existat, non tamen se immiscet, aut bonorum possessionem petit, nisi auctoritate tutoris propter periculum.

Quando, & quo pacto auctoritas tutoris censetur legitime interposita?

Si tutor statim in ipso negotio: (4) id est, in limine ipsius negotii, vel etiam mox eo perfecto, hoc est,

(1) L. 111. ff. de Reg. jur. (2) §. Neque tamen. (3) L. 1. §. Qui sunt, ff. Si quis omis. caus. (4) §. Tutor autem, l. 25. §. Jussum, ff. de Acq. hered.

est, antequam alius actus intervenerit, praesens auctor fiat. Post tempus verò, vel per epistolam, aut per nuncium, interposita auctoritas nihil agit, (1) propter fraudem, quae subesse potest. Interdum quidem absentium jussus, & ratihabitio valet ac sufficit, verum illud in tutore, auctoritatem suam accomodante, locum non habet: ipsum enim praesentem esse oportet, non tantum corpore, (2) sed & animo, quia auctoritas verbis interponi debet. Quid, si inter tutorem, pupillumque ex causa tutelam antecedente, lis oriatur?

Tunc, quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest, non magis quam in propria causa testis aut Judex, non praeiorius tutor, ut olim, sed curator in locum ejus datur: quo curatore interveniente iudicium peragitur, & eo peracto curator esse desinit. (3) Olim ideo tutor dabatur, non curator: quia ad lites, & ea, quae solemnitatem juris desiderant, explicanda, tutore auctore opus erat: (4) at verò hodie, sublati formulis, & solemnibus, datur curator.

(1) L. 9. §. pen. ff. b. t. (2) L. 1. ff. b. t. (3) §. Si inter, l. 10. ff. de Testib. (4) L. 19. b. t.

TIT. XXI I.

QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

Ut certis modis Tutela constituitur, ita & certis modis dissolvitur; partim ex persona ipsius pupilli, partim ex persona tutoris.

Quot igitur modis finitur Tutela?

Variis modis. Et primò Pubertate: nempe si pupilli, pupillave puberes esse coeperint, quod fit in masculis post 14. ætatis annum completum, in foeminis verò post 12. (1) Quà ætate, cum usum rationis habere incipiant, & de rebus suis disponere valeant, poterunt, & personam suam regere, quæ proinde alieno non debet subjacere arbitrio.

II. Arrogatione. (2) Etenim pupillus cum consensu sui tutoris arrogatus in familiam, & potestatem transit arrogantis, ac tutela liberatur: non enim potest unus idemque esse in tutela, & patriæ potestate, non magis quam sui, & alieni juris.

III. Deportatione, (3) si pupillus propter commissum flagitium in insulam deportetur. Tutela enim cum civilis, & solemnis juris sit, alibi quam in capite libero, & cive Romano, consistere non potest. Pupillus autem potest deportari, cum delin-

(1) Hic in princ. l. ult. c. Quando tut. vel cur. esse des. (2) §. Item finitur. (3) Dicit. §. Item b. t. l. 14. in princ. ff. de Tut.

linquere possit: (1) quatenus tamen illi sensus est: quem aliqui æstimant ex annorum numero: alii rectius id iudicis arbitrio committunt.

IV. Servitute: (2) intellige poenæ, vel alia: ut si pupillus, cum esset liberus, ob ingratitude revocatus sit in servitutem à patrono: quia tutela non servorum, sed liberorum hominum est propria. Unde servi non interveniunt in his, quæ officium per liberos homines leges desiderant. (3)

V. Captivitate: (4) quia captus ab hostibus, interim dum non revertitur, liberum caput non habet: atque ita interit tutela: recipitur autem, si revertatur: nam reversus omnia pristina jura postliminii jure recuperat, atque ita & tutelam.

VI. Eventu seu existentia conditionis vel temporis, si ad certum tempus datus fuerit tutor: (5) nam tutela conditionalis, qualis testamento fieri potest, finitur eventu conditionis, vel temporis lapsum. Solos autem testamentarios dari posse sub conditione, & ad certum tempus diximus supra: ergo legitima, aut dativa tutela hoc modo non finitur. Cur verò conditione adveniente, vel tempore finito tutores esse desinant, ratio pendet ex voluntate defuncti, quæ strictè servanda: is autem diutius tutorem esse noluit.

VII. Morte naturali, tam pupillorum, quam tu-

(1) L. 117. ff. de Reg. jur. (2) Dicit. §. Item, dicit. l. 14. §. 1. (3) L. 175. ff. de Reg. jur. (4) §. Si ab hostibus. sup. quib. mod. jus patr. pot. sol. (5) §. Sed et usque & §. b. t. dicit. l. 14. §. 3.

tutorum : (1) quia mors omnia solvit, omniaque jura personalia, qualis est tutela, cum persona extinguuntur. (2) Hæres igitur in ipsam tutelam non succedit : (3) tametsi actio tutelæ in eum transeat.

VIII. *capitis diminutione*. (4) In pupillo quidem capitis diminutio, etiam minima, perimit omnem tutelam, eò quod faciat alieni juris, transferendo pupillum per arrogationem in potestatem patris arrogatoris. Tutoris verò minima capitis diminutio non tollit tutelam testamentariam, aut dativam, quia non competunt jure agnationis : non enim prohibet, quo minus sit tutor etiam filius-familias : (5) sed legitimam tantum cessare faciebat ex eo, quod cessare faceret jus agnationis, quod consequitur onus tutelæ. Sed hodiè nec legitima tutela propter minimam capitis diminutionem perit.

IX. Et postremò desinunt tutores esse, qui à *Judice remouentur*, ob causas justas ; vel qui *se exensant*, (6) ex justis item causis, de quibus Tituli singulares sunt.

TIT.

(1) *§. Simili modo*. (2) *L. 16. ff. de Tutel.* (3) *L. 126. ff. de Reg. jur.* (4) *§. Sed & capitis diminutione*. (5) *L. 9. ff. de His qui sunt sui*. (6) *§. ff. n.*

DE CURATORIBUS.

Finità tutelâ, quia puberes, sive masculi, sive foeminæ, plerumque adhuc ejus ætatis sunt, ut negotia sua tueri, & administrare non possint (1) cum sit fragile, & infirmum hujusmodi ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, atque insidiis expositum : (2) idèò dari illis Curatores solent.

Quid est Cura, sive Curatela?

EST potestas in capite libero, ad tuendâ, atque administranda negotia, bonave, vel illius qui pubes factus adhuc ejus est ætatis, ut ea gerere non possit, vel alteriùs, qui ejusmodi curâ indiget, jure civili constituta.

Quibus, & à quibus dantur curatores : & quotuplex est Cura?

Dantur in primis, masculis quidem puberibus, & feminis viripotentibus, usque ad vigesimumquintum ætatis annum completum. Idque, vel à Lege, vel ab ordinario magistratu, à quo & tutores dantur. Testamento verò curator non datur : (3) quia jus potestatis est

(1) *Test. hic in princ.* (2) *L. 1. ff. de minor.* (3) *Hic in princ. §. 1.*

est merè personale, nec causam bonorum contigit. Undè non debet licere patri disponere de bonis puerum, quibus jam est aliquod animi consilium; neque enim voluit Lex XII. Tab. vim & effectum patriæ potestatis, post mortem patris, extendi ultra pubertatem.

Quid si pater curatorem dederit? cum citra inquisitionem prator confirmabit. (1) Jus enim parentem optimè liberis suis prospecturum confidit, cum eos naturali propensione, tamquam quid ex se ipso amet. (2)

Duplex itaque est Cura; Legitima, & Dativa; nulla Testamentaria saltem directâ.

Danturne inuitis adolescentibus Curatores?

Non dantur; (3) cum tales perfectum habeant intellectum: esset enim quædam veluti famæ læsio, & injuriâ, non permittere libero homini, de se satis confideati, rerum suarum administrationem. Possunt itaque adolescentes, si velint, absque curatoribus vivere, & si petierint dari sibi curatores, non coguntur hunc, vel illum accipere, sed quem elegerint ipsi: *præterquam in litem*, ad quam accipere curatorem coguntur, ne iudicium reddatur illusorium, cum minor legitimam personam standi in iudicio non habeat, & lata contra indefensos minores sententiâ non teneat. (4)

Qui insuper sub cura sunt?

Furiosi & prodigi, licet majores 25. annis sint, in

cu-

(1) L. 6. ff. de Confirm. tut. (2) Arist. l. 6. Ethic. (3) §. Item inuiti. (4) L. 45. §. 2. ff. de Re jud.

curatore sunt agnatorum, ex L. XII. Tab. (1) Ratio est, quia tales rebus suis superesse non possunt, cum furiosis nulla sit voluntas, (2) nullus sensus. In prodigiis est quidem consensus, verum ad bona quod atinet, furiosum facere exitum dicuntur; ideoque consulendum iis fuit, ne in ægestatem deducantur. (3) Sed & mente captis, & surdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant, quique inepti, & impares sunt rebus suis administrandis, curatores dantur. (4)

Quandiu durat in hisce personis cura?

Quoad vitium durat mentis, aut corporis: (5) aliàs tales nullo, aut corporis, aut mentis vitio præpediti frustra impediuntur à libera rerum dispositione. Quod in furiosis procedit, modò simpliciter receperint mentem; non etiam, si tantum dilucida habeant intervalla. Nam licet quidem interea sua gerere negotia possint, non tamen cessat cura; nec necesse sæpius curatorem constituere. Prodigis quemadmodum decreto Judicis interdicitur bonorum administratio, ne temerè contingat aliquem hac notâ adspergi: ita & decreto eadem restituenda videtur: ne ex simulata morum mutatione contingat prodigum in damnum incidere. (6)

Danturne curatores solis pueribus?

Interdum, & pupilli, sèu impuberes curatores accipiunt: ut puta si legitimus tutor, vel testamen-

to

(1) §. Furiosi. (2) L. 40. ff. de Reg. jur. (3) L. 8. §. 3. & l. 12. §. ult. ff. de Tut. & curat. dat. (4) §. Sed & mente captis. (5) L. 1. ff. de Curat. fur. (6) L. 6. C. d. sit.

to datus, vel à Præsìde, non sit idoneus, si non ex fide tutelam gerat, ut removeri debeat; vel si tutor datus non in perpetuum, sed ad tempus à tutela habeat excusationem, aut alià justà causà impediatur: his enim casibus dari curator solet, non tutor: quoniam habenti tutorem, tutor non datur: (1) sicuti patrem habenti, pater alius dari non potest. Tutor quippe, qui vice patris est, personæ datur, quæ est individua. Eoque fit, ut plures uni non sint tutores: nisi quatenus pro uno habentur, veluti simul dati ab initio. (2) Verùm curatorem habenti, quo minus curator detur, juris regula impedimento non est: (3) tantùm enim datur rebus administrandis, non personæ.

Quod si tutor vel adversà valetudine, vel alià necessitate impediatur, quomodo consulatur pupillo?

Tunc periculo tutoris, ac decreto Prætoris vel Præsìdis, si pupillus vel absit, vel, quod tantundem est, infans sit, qui absentis loco est, perinde ut furiosus, constitui debet Actor, (4) id est, adjutor, vel administrator. Idcò verò Imper. ait, constitui potius actorem, quàm procuratorem, quod procurator periculo ejus litiget, cujus est causa: actor verò periculo ejus, à quo constituitur, rem gerat: atqui non potest in prædicto casu à pupillo constitui actor, nisi ipse pupillus sit præsens, & possit fari. (5)

TIT.

(1) §. Interdum, l. 9. C. Qui daret, vel cur. l. 9. C. Qui pet. tut. (2) L. 23. ff. de Tut. & cur. dat. (3) L. 4. C. In quib. caus. tut. habenti. (4) §. Quod si tutor, in fin. b. t. l. 124. ff. de Reg. jur. (5) L. 24. ff. de Admin. tut.

TIT. XXIV.

DE SATISDIATIONE TUTORUM,
& Curatorum.

Tutoribus & Curatoribus hæc tria sunt communia. Satisfactio, Rem pupilli vel minoris salvam fore; Excusatio ab onere tutelæ vel curationis; & Remotio tutoris vel curatoris, tamquam suspecti.

Quid est Satisfactio? Cur necessaria, & quæ?

Satisfactio est cautio, quæ fit datis fidejussoribus de indemnitate pupilli. Non enim satis est, quod bona omnia tutoris pupillo tacite sint obligata: sed oportet insuper cavere, Rem pupilli salvam fore, dato fidejussore.

Cur oppignoratione bonorum non defungitur tutor, siquidem per eam ampliùs præstet juxta regulam, Plus cautionis in re est, quam in persona. (1) Idcò, quia Prætoris satisfactio, quarum una hæc est, personas desiderant pro se intervenientium, & neque pignoris quis, neque pecunia, vel auri, vel argenti depositione in vicem satisfactiois, fungitur. (2) Itaque ne pupillorum, & eorum, qui in curatione sunt, negotia à curatoribus, tutoribusve consuman-

F

tur,

(1) L. 25. ff. de Reg. jur. (2) L. 7. ff. de Præs. stip.

tur, omnibus modis prospectum cautumque est pupillis, minoribusve. (1)

Cogunturne satisfacere indistinctè omnes?

Nullò modo. Non tutores testamento dati, quia fides eorum, & diligentia ab ipso testatore approbata est: quæ approbatio est pro satisfactione. Item tutores vel curatores ex inquisitione dati, satisfactione non onerantur: (2) quia idonei electi sunt, & fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis. (3) Satisfacere igitur coguntur tutores legitimi, vel dati sine inquisitione: alioquin ab administratione prohibentur, & quæ ab ipsis gesta sunt, nullam obtinent firmitatem: imò & removeri à tutela possunt, sine nota tamen, nisi fraus appareat. Possunt etiam coerceri captis pignoribus, (4) vel multæ dictione. Non enim potest dolo cavere, qui imperio magistratus non paruit. (5)

Quid si plures testamento, vel ex inquisitione tutores dati sint, omnesne tutelam gerent?

Eo casu potest unus contutorum vel concuratorum offerre satisfactionem, de indemnitate pupilli, vel adolescentis, ut sic causâ cognita cæteris præponatur, & solus administret. (6) Quòd si plures satis offerant, præferetur magis idoneus. (7)

Quid si nemo eorum satis offerat?

Tunc, siquidem adscriptum fuerit à testatore quis

(1) Text. hic in princ. (2) §. 1. b. t. l. 4. c. de Tut. qui satis non dcd. (3) L. 13. §. ult. ff. de Tut. & cur. dati. (4) §. pen. b. t. (5) L. 199. ff. de Reg. jur. (6) §. Sed si ex testam. (7) L. 4. C. de Tut. qui sat. non dcd.

gerere debeat, ille solus administrabit: vel, si non fuerit adscriptum, quem major pars elegerit. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum, tunc Prætor partes suas interponet, ac definit, quis debeat administrare. (1) Si nec Prætoris definitioni acquiescant, & malint omnes gerere, (quia fidem non habeant electo) quàm succedanei esse alieni periculi, omnibus permittetur administratio. (2) Cavendum tamen, ne se mutua distinctione, & emulatione impedian.

Solent tutores vel curatores administrationis nomine tenentur?

Sciendum est, non solum tutores vel curatores, qui gesserunt, singulos in solidum conveniri à pupillis, vel adultis posse, sed & iis non sufficientibus, eos, qui non gesserunt, tum hæredes tutorum vel curatorum, deinde fidejussores, & eorum hæredes. (3) Qui omnes si non sufficient, excussione facta, tunc in ipsos magistratus, qui aut omnino satisfacere non curaverint, vel non idoneè passi sint caveri, subsidiaria actio est: quia datur in subsidium & ultimum refugium, atque etiam in magistratuum hæredes extenditur. (4)

At quo modo in hæredes?

Non quidem illi similiter tenentur, ut ipsi magistratus: nam nec hæres tutoris negligentæ nomine tenetur: nam magistratus in omne periculum

F 2

suc-

(1) Diff. §. Sed si. (2) L. 3. in fin. ff. de Admin. tut. (3) §. Sciendum, l. 2. C. de Fidejuss. tut. (4) Tit. C. de Magistr. conven.

succedit, hæres ipsius dolo proximè culpa succedaneus est. (1)

Cui incumbit ejus rei probatio?

Non pupillo incumbit, ut doceat fidejussores solvendo non fuisse, cum acciperentur: sed magistratibus, ut doceat eos solvendo fuisse. (2) Qui tamen si ab initio tutorem dederint idoneum, vel satis exegerint, quamvis postea lapsi sint facultibus tutores, vel fidejussores, nihil est quod eis, qui dederunt, imputetur: non enim debent magistratus futuros casus, & fortunam pupillo præstare, (3) cum non possint vitari, & impossibile nulla sit obligatio. (4)

Quinam magistratus hac actione conveniri possunt?

Illi soli, qui satisfactionem solent exigere, quales sunt inferiores magistratus, non autem majores, quibus jus dandorum tutorum est, cujusmodi sunt Præfectus Urbi, Prætor, Præses provinciarum: (5) quoniam hi ex aliorum relatione tutores dare, & fidejussores admittere solent.

TIT.

(1) L. 4. & 6. ff. de Magistr. conv. (2) S. pen. b. i. (3) L. 1. §. 11. & 13. ff. de iur. lit. (4) L. 85. ff. de Reg. jur. (5) Text. hic in fin. l. 1. §. 1. & 2. ff. de iur. lit.

TIT. XXV.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM,
vel Curatorum.

Quamvis Tutela ac Cura sit munus publicum, & gerere tutelam extrâ ordinem cogi tutor possit; tamen ex certis causis, conceditur excusatio, & vacatio ab onere tutelæ vel curæ.

Quid est excusatio?

EST allegatio justæ, & legitime causæ, quâ quis à tutela jure data, liberari intendit. Quibus enim casibus tutela jure data non est, ea inutilis est ipso jure, neque opus est excusatione. Aliàs, postquam tutore jure decreta est tutela, adeò necessarium est illius munus, ut nec quispiam illud detractare possit, nisi justas excusationis suæ causas adferat.

Quot sunt Excusationum causæ?

Varie; quæ partim ad fortunam referri possunt, veluti numerus liberorum, numerus tutelarum, paupertas, administratio rerum Fisci, absentia Reip. causa, Potestas, Militia: vel ad animum, ut lites tutoris cum pupillo, injuria, inimicitia capitales inter patrem pupilli, & tutorem, imperitia litterarum, professio artium liberalium: vel ad corpus, ut adversa valetudo, ætas major 70. annis, &c. Justinianus hic septemdecim causas proponit hoc ordine.

F 3

Est

I. Est Numerus Liberosum, trium Romæ, in Italia quatuor, in provinciis quinque, & quidem superstitum. (1) Cujus ratio consistit in cura, & sollicitudine propriorum liberorum: ut æquum non sit, patrem ab illa naturali cura distrahi, & suis relictis opem impendere extraneis.

Qui liberi prosunt, vel non prosunt?

Prosunt liberi ex legitimis nuptiis procreati: illegitimi verò, vel adoptivi non prosunt, (2) quia per eos non augetur respublica, idèque eorum nomine præmium nullum debetur. Deindè adoptivi prosunt naturali patri, non debent autem duobus simul prodesse. Nihil interest, in potestate sint liberi, an emancipati, primi gradus vel ulterioris: nam & nepotes ex filio prosunt avo, mortuo ipsorum patre, ita ut plures pro uno reputentur, & patrem repræsentent. Dico, ex filio: nam nepotes ex filia non prosunt, quia non sequuntur avum.

Excusantne liberi defuncti?

Soli superstites ad tutelæ, vel curæ excusationem prosunt: defuncti non prosunt: nisi in acie amissi fuerint. Hi enim qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur, in animis hominum admirantium: & soli prosunt, (3) non etiam ii, qui per causam belli parentibus abrepti, in obsidione fortè perierunt. (4)

Ad-

(1) Text. hic in prin. l. 1. C. Qui num. lib. se excus.
(2) Diff. §. vers. Sed adopt. l. 2. §. Adopt. ff. de Vacat. (3) §. Filii autem superstites. (4) L. 18. ff. b. t.

II. Administratio rerum Fisci. (1) Ita enim D. Marcus Antonius (qui Philosophi nomen sortitus est) in Semestribus rescripsit, eum, qui res Fisci administrat, à tutela, vel cura, quamdiù administrat, excusari posse: (2) Ratio hujus est, quia Procurator Fisci (quem vocamus Thesaurarium Principis) munus gerit personale, & publicum, quod & corporis labore, & animi sollicitudine, vigilantiaque perficitur, & exercetur: ut meritò ab alio se excuset, quamdiù administrat. (3) Cessante autem administratione, cessare etiam debet excusatio.

III. Absentia Reipublicæ causa. Ratio posita est in favore Reipubl. cujus utilitas per tutelæ munus impediretur, imminereturque. Quare si fuerint tutores vel curatores dati, deindè reipublicæ causa abesse cœperint, à tutela vel cura suscepta excusantur, quamdiù absunt, & interea eorum loco datur curator: at reversi statim recipiunt onus tutelæ. (4) Quod vocem aliquibus post reditum, anni concedatur vocatio, hoc intelligendum de nova tutela suscipienda, non de veteri ante absentiam suscepta, post reditum recipienda, & perficienda.

IV. Potestas conjuncta cum dignitate, qualem ii habent, qui sunt in imperio magistratus, & majorem honorem gerunt: qui quidem à suscipienda tutela se excusare possunt, susceptam tamen deservere non possunt. (5) Aedilitas non excusat, sicut nec Sena-

F 4

to-

(1) §. Item, D. Marc. (2) L. 8. §. 1. ff. de Vac. mun. (3) L. 41. ff. b. t. (4) §. Item qui reip. l. 4. & seqq. ff. ex quib. caus. major. (5) §. Es qui potestatem, l. 15. & 17. ff. b. t. l. 215. ff. de Verb. Sign.

torius ordo sine potestate. Magistratus municipales, qui interdum Potestates dicuntur, olim non erant immunes à tutelæ onere, siquidem dari poterant tutores, sed excusationem habebant. (1) Magistratus verò, qui nondum administrat, sed administraturus est, tutelæ excusationem non habet, quem admodum neque is magistratus, quem quis jam deposuit.

V. *Lis tutoris vel curatoris cum pupillo vel adulto*, si de bonis omnibus, vel maxima eorum parte, seu de hereditate controversia sit: (2) quia qui talem litem exercent, sæpè inimici solent esse capitales: atqui non expedit pupillo tutorem habere inimicum. Dico, de omnibus bonis: nam si de una aliqua re lis oriatur, ea olim non excusabat tutorem. Hodie non tam excusat, quam omnino removeret à tutela: nisi sit mater, & avia, quæ videntur esse extrà omnem suspicionem. (3) At tutor, qui litem habet, facile posset ledere minorem, quem cuiusve res in potestate habet.

VI. *Numerus tutelarum*. Nam tria onera tutelæ non affectatæ, vel curæ, præstant vacationem quandiu administratur, (4) quia tutor curatorve aliis, & istis non posset commodè superesse, nisi affectaverit suscipere: affectatæ enim tutelæ, id est, modici patrimonii, non censentur oneri esse, uti nec honorariæ:

(1) *L. pen. ff. Qui pet. tut. vel curat. l. 6. §. 16. ff. b. t. l. 13. & 15. ff. cod. (2) §. Item propter litem, l. 20. & seqq. b. t. l. 16. C. cod. (3) Novel. 71. & 94. (4) §. Item tria, l. 2. §. ult. & seqq. ff. cod.*

riæ: plures siquidem tutelas non facit numerus pupillorum, sed patrimoniorum separatio, & conficiendarum, reddendarumque rationum difficultas. Ideò si tres sint fratres consortes, id est, quorum indivisum adhuc est patrimonium, una erit tutela: sint tres dissortes, tres tutelæ erunt. (1)

VII. *Paupertas*: non quilibet, sed tanta, ob quam quis imparem se oneri in iuncto possit docere, (2) ut quia vitæ suæ necessaria in dies conquirere debeat, & tales sint pupilli facultates, quæ non permittant tutorem ab administratione abscedere.

VIII. *Adversa valetudo*. Igitur si quis furore aut sonitico morbo ita affectus sit, ut ne quidem suis negotiis superesse possit, à tutela excusatur: (3) incivile enim est, ut qui alieno auxilio, in suis indiget rebus, alios regat. Cæterum prout valetudo est, vel ad tempus, vel in perpetuum, ita conceditur excusatio.

IX. *Imperitia litterarum*. (4) negotiorum imperitiæ conjuncta. (5) Nam si rerum forensium sit peritus tutor, licet litterarum imperitus, poterit ad administrationem tutelæ sufficere, (6) cum possit vicariâ operâ amicorum, vel notariis uti, in conficiendo inventario, & conscribendis rationibus, quarum confectio tam difficilis non est, quam negotiorum procuratio. (7)

(1) *L. 31. §. ult. ff. cod. (2) §. Sed propter, l. 7. & 40. §. 1. ff. b. tit. (3) §. Item propter advers. l. 10. §. fin. cum 2. l. seqq. ff. b. t. l. 1. C. Qui morbo (4) §. Similiter, (5) *L. 6. §. ult. ff. b. t. (6) Voltejus l. Discept. cap. 2. (7) Duar. l. 1. disp. cap. 3.**

X. *Injuria seu malevolentia testatoris.* Nam si pater propter inimicitias aliquem testamento tutorem dederit, ut eum implicet periculo negotiorum, quæ fortassis ex eo nomine reliquit intricatiora, magis sollicitus, ut adversarium supponat debito, & labori, quàm ut pupillo prospiciat, hoc ipsum præstat tutori excusationem: (1) Sicut per contrarium non excusatur, qui se tutelam administraturum patri pupillorum promisit, fidem enim servare debet, cum consenserit voluntati testatoris.

Quid, si quis dicat se ignotum patri pupillorum?

Divi fratres rescripserunt, hujus non esse admittendam excusationem. (2) Nam licet tutela ferè semper soleat committi notis, & quidem amicis, tamen nonnumquam etiam ignotis, & tutores dantur, & hæredes scribuntur. Bene noti sunt qui meritis asseruntur, & fama teste laudantur.

XI. *Inimicitia capitales*, quas tutor curatorve cum patre pupilli vel adulti exercuit, necdum reconciliatione sopitæ, (3) ne paterno inimico pupillus committatur. Nam iratus nocere cupiet, vel læsus ulcisci se volet. Plerumque enim id accidit, ut inimicitias consequatur nocendi voluntas.

XII. *Controversia status*, (4) seu lis de libertate, aut ingenuitate (5) à pupillorum patre mota, quia ex tali controversia oriri solet capitalis inimicitia.

Idem

(1) §. Item si propt. inimicitias, l. 6. §. 17. ff. h. t. vers. Sicut (2) §. Non esse autem, l. 15. §. 14. ff. h. tit. (3) §. Inimicitia quas. (4) §. Item. is, qui stat. (5) l. 6. §. pen. ff. h. tit.

Idem est, si tutor pupillo, vel curator adolescenti, eandem moverit quæstionem, modo non fictè vel per collusionem, ut à tutela curave excusaretur. Metuendum enim ne injuriam à patre factam filio rependat, & sic odio patris pupillus damno afficiatur.

XIII. *Ætas major 70. annis*: (1) quæ non solum à tutela & cura, sed & à cæteris personalibus muneribus præstat vacationem: (2) quia senectus tamquam morbus perpetuus & insanabilis per se gravis est, & quietem exigit. Sunt enim bis pueri senes: ita ut non possit per eos sat rectè consuli pupillis, cum sibi ipsi non sufficiant.

Quid de minore XXV. annis?

Olim quidem excusabatur, sed Justiniani Constitutione prohibetur ad tutelam vel curam aspirare, adeo ut nec excusatione opus sit. Quia Constitutione cavetur, ut is tantum ad tutelam curamve vocetur, qui perfectæ ætatis sit, cum sit incivile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire. (3)

XIV. *Militia*. Nam & milites ut minores, nec volentes, ad tutelam onus admittuntur: (4) idque idèò, ne à signis & castris avocentur, atque ita republica detrimentum sentiat. Veterani verò qui scilicet honestè missi sunt, & sacramento soluti, perpetuò excusantur à tutela paganorum, non verò à tutela una

(1) §. Item major, l. unie. c. Qui ætate se exc. (2) l. 10. c. de Decur. (3) Dic. §. vers. M. nor. autem, l. ult. c. de Legit. tut. (4) §. Idem, & in milite, l. 4. c. Qui dare tut.

una filiorum conueterani. (1) Cæteri autem tantum anni vacationem habent. (2) Ignominiosè missi perinde habentur, ac si numquam milites fuissent: non ergo excusantur ab oneribus, licet ab honoribus exculantur. (3)

XV. *Professio artium liberalium*: Etenim Romæ Grammatici, Rhetores, & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intrâ numerum sunt, decreto ordinis probati, & cooptati, à tutela & cura habent vacationem. (4) Quam tamen, qui in aliena patria docent, non habent, nisi admodum excellent in sua arte: neque legum Doctores, nisi in consilium Principis sint assumpti, aut profiteantur Romæ, quæ & habetur, & est communis patria. (5)

XVI. *Onus tutela priùs gesta excusat à cura*. Qui enim tutelam alicujus gessit, inuitus curator ejusdem fieri non compellitur: ne quidem si testator in testamento adjecerit, se eundem curatorem dare, ex rescripto Severi, & Antonini: (6) cum satis abundè que sufficiat, si cui vel in una re per amici laborem consulatur: cum sit omnium officiorum tandem finis aliquis.

XVII. *Maritus uxori suæ curator datus excusare se potest, licet se immisceat*: (7) imò etiam debet, nisi remoueri velit. Nec quicquam obstat, quòd se immis-

(1) L. 1. C. de Excus. veter. (2) L. 8. ff. b. t. (3) L. 1. C. de His qui non impl. stip. (4) §. Item Romæ. l. 6. C. de Profes. & Med. l. 6. §. 1. 2. 3. ff. b. t. (5) Dist. l. 6. §. 1. 10. & 12. (6) §. Qui tutelam, l. 20. C. eodem. (7) §. Idem rescripserunt.

miscuerit administrationi, licet aliàs non audiatur excusatio ejus, qui administrationem tutelæ semel suscepit; eà ratione, ne maritus indulgentiæ uxoris fretus, malè versetur in curatione bonorum receptiorum. Hæc enim bona cum uxor dotem marito daret, in bonis suis retinebat, eaque recipere dicebatur: in his bonis maritus officio curatoris fungi nequit.

Potest tamen ejus esse procurator: cur non & tutor?
(1) Quia illè revocari potest pro arbitrio constituentis; hic non desinit esse tutor, nisi postquam minor factus est major. Quòd si antè curator remoueat, id fieri non potest sine suspitione doli, aut culpæ, quæ inter conjuges locum habere non debet.

Quid si quis excusare se volens plures habeat excusationis causas?

Tunc si de quibusdam non probaverit, aliis uti intra tempora constituta non prohibetur; (2) cum aliàs nemo prohibeatur uti diversis defensionibus (3) sive exceptionibus, quæ naturali æquitate comparatæ sunt ad vitandum damnum.

Excusare se volens, possunt appellare?

Non possunt; sed necesse habent proponere prius excusationem; (4) ubi resciverint se tutores vel curatores datos. Quòd si causa excusationis fuerit rejecta, tunc poterunt ab hoc gravamine appellare. (5)

Intra quod tempus proponenda est excusatio?
Intra quinquaginta dies, numerandos ab eo tempo-

(1) L. 2. C. Qui dare tut. pos. (2) §. Qui autem vult. l. 21. ff. b. t. (3) L. 43. ff. de Reg. jur. (4) Dist. §. vers. Qui autem excusare. (5) L. 1. §. 1. ff. Quando appel.

pore, quo cognoverint se tutores vel curatores datos. Et hoc si in eadem civitate sint vel intra centesimum ab urbe lapidem inorentur. Si verò ultra centesimum habitent lapidem à loco tutelæ in singulos dies viena millia passuum iis conceduntur, donec veniant ad locum, ubi tutores dati sunt, & amplius triginta dies, qui tamen ita debent computari, ne minùs sint, quàm *quinquaginta dies*. (1) Nam absurdum esset meliori conditione esse presentes, vel qui propriùs absunt, quàm qui longius. Peragi autem totum negotium hujus disceptationis debet à die nominationis, intra quatuor menses continuos. *Quid, si quis falsis allegationibus excusationem tutelæ mernerit?*

Talis non liberatur onere tutelæ, (2) sed poenæ nomine ex tempore dationis, non autem quo scire coepit, periculo tutelæ obstringitur. Ita enim poscitur favor minoris, & nec cuiquam dolus suus prosit. Qui verò veris allegationibus excusatione tutelæ meruit liberatus est periculo omnis administrationis. (3)

TIT. XXVI.

DE SUSPECTIS TUTORIBUS,
vel curatoribus.

Quibus est jus cognoscendi de suspecto?
ROMæ competere jus illud (ex L. XII. Tab. descendens) (4) solet Prætori, in provinciis verò

Præ-

(1) D. vers. *Qui autem excus. l. 6. c. h. l. l. 54. ff. de Verb. sign. l. 13. §. 1. & 38. ff. b. t.* (2) *S. fin. b. t. c. Si tut. vel cur. sal. alleg. (3) L. 22. C. de Excus. tut. (4) In pr. tit.*

Præsidibus earum, & Legato Proconsulis (1) Idque ob favorem, & utilitatem pupilli singulariter receptum est, ut aliis quoque hæc de suspecto cognitio mandari, & delegari possit. (2)

Si verò quid erit quod majorum animadversionem exigit, vejecere Legatus apud Proconsulem debet, neque enim animadversioni, coercendi, vel atrociter verberandi jus habet. (3) *Nemo enim potest gladii potestatem sibi datam, vel cuiusvis alterius coercitionis, ad alium transferre.* (4) Quoniam ea potestas non jure magistratus, sed specialiter lege defertur.

Quinam tutores suspecti fieri possunt?
Possunt omnes fieri suspecti, sive sint testamentarii, sive non sint, sed alterius generis tutores: (5) si utique fraus ac segnitias illorum reipsa se prodant, licet aliàs à testatore aut magistratu fuerit approbata eorumdem fides diligentiaque. Quare etsi legitimus fuerit tutor, accusari poterit: quamvis propter necessitudinem, quæ tali tutori cum pupillo intercedit, consultum fuerit curatorem ei potius adungi, quàm eundem notatâ fide & existimatione removeri. (6) Idem dicendum de patrono, removeri quidem, ut suspectum posse, dummodo famæ ejus parcat. Nam adversus parentes, vel patronos, non sunt instituendæ actiones famosæ, sed temperandæ actiones in factum. (7)

Qui

(1) *L. 1. §. 3. ff. b. t. (2) L. 4. ff. de Offic. ejus cui mand. est jur. (3) L. 11. ff. de Offic. Procons. (4) L. 70. ff. de Reg. jur. (5) *S. Ostendimus (6) L. 9. ff. b. t. (7) L. 11. §. 1. ff. de Dolo, l. 5. ff. de Obseq. parent. & patr. præst.**

Qui vtrū suspectos postulare seu accusare possunt?
 Sciendum est, suspecti accusationem non quidem publicam esse (quia non descendit ex lege aliqua publici iudicii) sed quasi publicam, hoc est, omnibus de populo patere, quatenus aliis sunt idonei. Quā ratione non passim admittuntur mulieres, sed ex solā, quæ pietatis necessitudine ductæ ad hoc procedunt, ut puta mater, nutritæ, avia soror, & si qua alia fuerit propensa pietate in pupillum, sexus verecundiam non egressa. (1) Nam naturalis pudor mulierem non omnibus perperam se manifestare concedit. (2)

Impuberes quidem non possunt tutores suos suspectos postulare; (3) tum quia iudicium eis desit, tum quia legitimam standi in iudicio personam non habeant. Puberes autem curatores suos suspectos arguere possunt, dummodo ex consilio necessariorum seu amicorum id faciant, (4) ne aliās ætatis lubrico ducti temerè notent curatores.

Quis dicitur suspectus & ex qua causa?

I. Qui non ex fide tutelam gerit. (5) Et talis continuo removeri ab administratione debet, licet idoneus & solvendo sit, aut satis offerat; neque enim satisfactio tutoris propositum malevolam mutat, sed duntaxat gyassandi in re familiari facultatem præstat. (6) Et expedit pupillo habere rem pupillarem salvam ab initio, quàm post remedium quærere, & in tutorem agere. (7)

Qui

(1) §. Consequens. (2) L. 14. C. de Contr. stip. (3) §. Impub. (4) L. 7. ff. de l. c. b. l. (5) §. Suspectus. (6) §. fin. b. l. 4. c. cod. (7) L. 5. ff. b. l.

II. Qui moribus talis est, ut suspectus sit: (1) qui etiam antequam incipiat tutelam gerere, removeri quasi suspectus poterit. Alioqui tutor vel curator, quamvis pauper sit, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi suspectus. (2) Non enim cum de fide agitur, culpanda est hominis fortuna; potissimum cum paupertas non obstat, quin aliquis sit frugalis rerum dispensator. Si tamen ita egenus sit tutor, satius erit ei curatorem adungi, quam eundem læsa fide & existimatione removeri.

Suntne aliæ causæ, ob quas quis ut suspectus removeretur & gravius punitur?

Sunt hæc tres. I. Si tutor copiam sui non faciat, sed latitet, ne alimenta pupillo decernantur. (3) Quo casu non solum removeretur ut suspectus, sed & mora seu contumacia ejus coerceretur, misso pupillo in possessionem bonorum ipsius tutoris. (4)

II. Si præsens neget per mendacium alimenta pupillo posse decerni, propter inopiam: (5) quo casu mitti jubetur ad Præfectum urbis puniendus (6) pena corporali, quam infligere non poterat Prætor.

III. Qui datā pecuniā ministerium tutela adquisiverit vel redemerit. Quo etiam casu remittitur ad Præfectum urbis puniendus: (7) sicut & libertus, si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probaretur: (8) est enim hæc species ingra-

G

ti-

(1) §. ult. b. l. (2) §. cit. de l. 8. ff. cod. (3) L. 3. §. 14. ff. cod. §. 9. b. l. tit. (4) L. 7. §. 2. b. l. (5) L. 3. §. 15. de seqq. ff. b. l. (6) §. Sed si quis hoc lit. (7) §. Sed si quis cit. (8) §. Libertus hoc lit.

titudinis, ob quam sæpe libertus in servitatem revocabatur. Nam quò quis pleniorẽ indulgentiam est expertus, eò graviorem sceleri suo poenam metetur. (1)

Qua aliàs est pœna tutoris remoti ut suspecti?

Si quidem ob dolum, sententiã expressum, quia scilicet dolose & perniciosè in rebus pupillaribus fuerit versatus, aut ex iis interceperit aliquid, famosus est: ob culpam non aequè, (2) id est, ob levem culpam sive segnitiam, aut inertiam remotus, non notatur infamia. (3) Ideoque solet Prætor causam remotionis exprimere: quæ si expressa non sit, censetur remotus citrà infamiam.

Pendente cognitione suspecti quis administrat?

Quamvis regulariter nemo solet pendente iudicio deturbari possessione rei controversæ, tamen si tutor suspectus postuletur, interdicitur administratio, (4) ejusque in locum sufficitur curator, qui administrat. (5) Ratio hujus juris singularis posita est in favore pupilli, & justo metu, ne tutor suspecti iudicio irritatus grassetur in bonis pupilli.

Sed si pendente suspecti cognitione, humanitàs quid tutori contigerit, extinguitur suspecti cognitio, (6) nec quicquam ad hæredes transit: quia crimen extinguitur morte. Permittitur tamen hæredibus accusati innocentiam ejus purgare, judicis sententia declarandam. (7)

INS-

(1) L. 3. §. 17. ff. ad S. C. Sylan. (2) §. Suspecti. (3) L. 3. §. ult. l. 4. ff. b. t. l. ult. C. eod. (4) §. Si quis autem. (5) L. 7. C. b. t. (6) §. Sed si suspecti. (7) L. pen. §. 2. ff. de Adim. leg.

INSTITUTIONES
IMPERIALES,
EROTEMATIBUS
DISTINCTÆ, ET EXPLICATÆ.
LIB. II. TIT. I.

*De Rerum divisione, & acquirendo
ipsarum dominio.*

Superiore libro de Jure personarum exposuimus: nunc videamus de Rebus, quod alterum est Juris objectum; quo pacto eæ dividantur, acquirantur, & per quas personas.

Quotuplex igitur est divisio Rerum?

Triplex proponitur à Justiniano: duæ hoc tit. & tertia tit. sequenti.

I. Quod res vel in nostro patrimonio vel extrà patrimonium nostrum habeantur. (1) In patrimonio nostro, id est, in bonis nostris habentur ex res, quæ sunt in hominum commercio, quæve humani juris esse dicuntur. (2) Extrà patrimonium esse dicuntur.

G 2

quæ

(1) Hic in princ. (2) Leg. 49. ff. de Verb. sign.